

PRÆFATIO.

Stoici, Epictetus, Arrianus & Seneca, vel per characteres ethicos, ut Theophrastus Eresius bonos mores docuerunt. Sacri scriptores virtutes & officia per breves loquendi formulas, quas Aphorismos vocamus, pari modo tradiderunt, e quorum numero Salomo & Siracides. De recentioribus, & quidem Christianis philosophis, qui Theologiam Moralem cum Ethica vel miscuerunt, vel utramque certis limitibus circumscripserunt, hic dicere nil attinet. Ceterum haud inconueniens est illa Methodi divisio, quam Philosophi vulgo adducunt, ubi tria, quæ considerentur, se se offerunt, objectum, processus, & dicendi character. Aristoteles objectum facit duplex, aut enim τὸ ὄτι, & quod unumquodque sit, aut τὸ διότι, hoc est causas & rationes, quare ita sit, explicat. Procedendi quoque ratio duplex est, prior σύνθεσις, quæ a prioribus ad posteriora, ut a literis ad dictiones & orationem, a simplicibus ad composita, a terminis ad propositiones & ratiocinandi formas, a principiis ad demonstrationes, a subjectis ad adjuncta, a partibus ad totum, a causis ad effectus procedit: altera ἀνάλυσις, quæ ordine inverso a posterioribus ad priora regreditur. Character dicendi triplex est, ἐξηγητικὸς, cum auctor solus loquitur, δραματικὸς, cum expositio formam actionis habet, & tanquam in colloquio proponitur, atque μικτὸς, cum auctor aliorum dictis & factis sua quoque verba inserit. Inde non tantum novæ divisiones Ethicæ emergunt; sed etiam qui hanc scriptis comprehendenderunt, alii alia procedendi ratione, & explicandi forma utuntur. Τὸ διότι tractat ea species Ethicæ, quæ ἀποδεικτικῆ dicta, virtutum definitiones, divisiones, causas, effecta, adjuncta & opposita examinat, quales libri Philosophorum sunt. Ethicæ autem, quæ τὸ ὄτι tractat, duplex est, pri-